

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

CXIV.

Salutem in Christo, Salvatore, Reverende Vir, Domine ac amice observande. Video controversiam Sacramentariam hoc tempore totam fermè devolutam esse ad disputationem de hypostatica duarum naturarum in Christo unione, de communicatione Idiomatum, & quæ præterea huc pertinent. Et debebant quidem illi, qui in Academicis nostræ Confessionis eruditione & autoritate excellunt, in huiusmodi necessariis certaminibus non tantum *ἀντιμαχῆαι*, sed potius *πρόμαχῆαι* esse. Sed in quam misera & exulcerata tempora postrema hæc Ecclesiæ ætas inciderit, quid opus est multis commemorare, quod veris potius gemitibus & suspiriis deplorandum est. Me tamen interea controversia illa *ἡ ἐν τῶν ἀποστόλων ἰδίου* non parum habuit sollicitum, cum in ea deprehenderem non paucas tales obscuritates & difficultates, ex quibus non facile me poteram expedire, cumque in illis plures etiam alios hætere animadvertirem. Tandem igitur ad hoc consilium decurri: inquirendam esse puriorem & eruditorem antiquitatis de hac controversia sententiam. Significatione enim iudicii Veteris Ecclesiæ existimabam, me de iis, in quibus hærebam, commodissime posse erudiri; si cognoscerem, quos errores illa in hisce disputationibus notasset, & quomodo sana de hac controversia sententia primis & eruditis Ecclesiæ temporibus tradita & proposita esset. In hunc usum cœpi ex præcipuis Ecclesiæ scriptoribus colligere sententias, quas explanationi huius controversiæ aliquid lucis allaturas arbitrabar. Et postea ex scripturæ sententiis atque ex antiquitatis testimoniis mediocri diligentia institui explanationem, in qua præcipua capita totius controversiæ complecti & declarare conatus sum. De editione autem huius scripti nihil adhuc constitui, cum in privarum potissimum usum illud confecerim. Quia vero maximopere vellem, in omnibus nostris Ecclesiis in una concordia de hac controversia sententia consensum esse, constitui scriptum illud ante editionem iudicio & censuræ illorum, quorum fides de controversia sacramentaria in nostris Ecclesiis probata est, subjicere, ne vel novæ vel majores inter nostros distractiones oriantur.

Cum itaque eruditio, fides & pietas tua mihi perspecta sit, ad te in primis scriptum illud meum censendum mitto atque diligenter peto, ut illud non obiter tantum inspicere, sed accuratè & cum censurâ perlegere velis, ac tuum mihi iudicium liberè & copiose rescribas, si quid existimaveris addendum, demendum, corrigendum, aut magis proprie aliquid explicari posse. Ex tuo enim & aliorum eruditorum iudicio de scripto isto statuam. Nam video, controversiam illam talem esse, ad quam omnino opus esse iudico libera collatione sententiarum inter eruditos.

Deinde etiam hoc amanter peto, ut scriptum illud, postquam perlegeris, non graveris per certos homines cum adjunctis literis mittere ad Tubingenses Theologos. Arbitror enim, me ipsorum plane sententiam in hoc meo scripto reddidisse, sicut illam D. Jacobus Andræ in responsione adversus Bezam, Anno 1565. exposuit.

fuit. Disputationem de generali ubiuitate Corporis Christi, cum totam explicare non possim, iudicavi de Lutheri consilio ex parte præcidendam esse. Hoc, ut arbitror, vos non offendet, cum liberum permittam, ut in illa disputatione quisque suo sensu abundet. Sed de singulis tu, mi Marbachi, ut libere ad me scribas, amanter & diligenter oro. Civis enim ille noster, qui librum cum literis tibi tradet, huc reversurus est. Hoc etiam addam; Ex collegis nostris quidam constituerunt liberos suos ad scholam vestram mittere, sed ratio convictus, disciplina & habitatio eorum ipsis ignota est, ut de sumptibus statuere possint. Voluerunt igitur per me hoc à te petere, ut paucis nos hisce de rebus certiores reddere non graveris.

Peltis per hanc ætatem satis atrociter apud nos grassata est, jam vero DEI beneficio cæpit remittere. Bene & feliciter in Christo Vale. Brunsvigæ 25. Novembris 1566.

Salutem suo nomine tibi rescribi jubet D. Mörlinus.

Martinus Chemnitius.

CXV.

Gratiam & pacem per $\frac{11}{17}$ 12p. 2

ET si tuam excellentiam, Reverende & doctissime vir, tot tamque sanctis negotiis occupatam, incomptis meis literis interpellare cunctabar: tamen cum hic noster tabellarius suum in perferendis literis officium ad me deferret, permagnum tui salutandi me desiderium incessabar. Quod igitur huic ex summa animi erga te mei observantia profecto desyderio satisfacere voluerim, tuam, quæ summa est, humanitatem mihi condonaturam esse existimo. Rogo autem pietatem tuam, Reverende vir, Domine & pater in Christo colendissime, si quid iudicatum est de nuperrime ad Conventum vestrum misso à me scripto, Eucharistiæ definitionem excutiente, vel si juxta meam petitionem à vobis aliquid limatum, vel à Domino Erythræo compositum est, per præsentem tabellarium ad me transmittas. Res videtur exigua, cum alioqui tot egregiis libris veritas à calumniis Fanaticorum vindicata sit: sed tamen nescio, quomodo me valde sollicitum reddit, ita ut, antequam à majoris autoritatis Doctoribus os illud impurum obruratum sit, quietus esse nequeam. Maximopere igitur tuam humanitatem oratam volo, ne hanc piam sollicitudinem meam ægrè ferat, utque ad confirmandum cum me tum alios simplices, meique similes, aliquid peculiariter de hac re divulgetis. Nihilominus caveri posse iudico, ne nos ipsi

Gg 2

deh